Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

implere nequirent. omne os obstruatur et nemo sibi magnus videatur. Sint omnes parvuli.
et reus fiat omnis mundus deo. quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram te. Per legem enim cog
nitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia tua manifestata est. testimonium habens ex
lege et prophetis. Hec sunt mirabilia testimonia tua que scrutata est anima parvuli huius.
et ideo invenit quia humiliatus est et parvulus factus est. Quis enim facit mandata tua si
cut facienda sunt id est ex fide que per dilectionem operatur. nisi cui in corde per spiritum sanctum ipsa
dilectio diffundatur. Hoc et iste parvulus confitetur. Os meum aperui inquit et attra
xi spiritum. quia mandata tua desiderabam. Quid desiderabat. nisi facere mandata divina.
Sed non erat unde faceret infirmus fortia. parvulus magna. Aperuit os. confitens quod per se ipse
non faceret. et attraxit unde faceret. Aperuit os petendo. querendo. pulsando. et sitiens
hausit spiritum bonum. unde faceret quod per se ipsum non poterat mandatum sanctum et iustum et bonum.
Si enim cum simus mali novimus bona data dare filiis nostris. quanto magis pater noster de celo
dat spiritum bonum petentibus eum. Non enim qui spiritu suo aguntur. sed quotquot spiritu dei aguntur. hi
filii dei sunt. non quia ipsi nichil agunt. sed ne nichil boni agant. a bono aguntur ut agant.
Nam tanto magis efficitur quisque filius bonus. quanto ei largius datur a patre spiritus bonus. Denique
iste adhuc petit. Os quidem aperuit et attraxit spiritum. sed adhuc ad patrem pulsat et que
rit. Bibit. sed quanto suavius sensit. tanto ardentius adhuc sitit. Audi verba sitientis.
Respice in me et miserere ~~mei~~. secundum iudicium diligentium nomen tuum. id est secundum iudi
cium quod in eos fecisti qui diligunt nomen tuum. quoniam ut diligerent te prius dilexisti eos. Sic
enim iohannes apostolus nos diligimus inquit. et velut causa quereretur que nos diligere fecit. adiun
xit. quoniam ipse prior dilexit nos. Vide et iste quid apertissime dicat. Gressus meos
dirige secundum eloquium tuum. et non dominetur mei omnis iniquitas. Ubi quid aliud dicit. quam
rectum et liberum me fac secundum promissum tuum. Quanto autem magis regnat in uno
quoque dei caritas. tanto minus ei dominatur iniquitas. Quid ergo aliud petit. quam ut donante
deo diligat deum. Diligendo enim deum diligit se ipsum. ut diligere salubriter possit
et proximum sicut se ipsum. In quibus preceptis tota lex pendet et prophete. Quid ergo orat.
nisi ut precepta dei que deus imponit iubendo. impleri faciat adiuvando. Sed quid est quod dicit.
redime me a calumpniis hominum. ut custodiam mandata tua. Si vera illi homi
nes crimina obiciunt. non calumpniantur. si falsa. quid est quod se redimi desiderat a calumpniis
id est a falsis criminibus. que illi nocere non possunt. Crimen quippe falsum quod est calumpnia re
um non facit hominem. nec apud hominem iudicem. Ubi autem deus iudex est. nullus falso
crimine leditur. quia non cui obicitur. sed obicienti potius imputatur. An hic ecclesie presignatur
oratio. et universi ipsius christiani qui redempti sunt a calumpniis hominum. quibus exagi
tabantur usquequaque christiani. Sed numquid propterea dei mandata custodit. Nonne
inter ipsas calumpnias quando fervebant. multo gloriosius apostoli sancti in tribulationibus dei
mandata servabant. cum ad [illegible] impietates persequentibus non cedebant. Sed numi